

in vota Nostra quantocyus convolent, idque fiat, quod Ipsae Fidelitates Vestrae pro sagacitate Sua perspiciunt, integris Regni Legibus Constitui omnino posse.

De Rebus igitur ad optatum exitum perductis, gratum Nuncium a Fidelitatibus Vestris hoc adhuc mense Avidi Sane, cum res moram non ferat amplius, praestolamur. In reliquo Fidelitatibus Vestris gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae, die quarta Mensis Martij, Anno Domini Millesimo, Septingentesimo, Sexagesimo Secundo.

Maria Theresia m. p.

Comes Nicolaus Palffy m. p.

Ladislaus Batta m. p.

*Intitulationis tenor talis est:*

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregiis et Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Universis Statibus et Ordinibus, Fidelibus Nobis dilectis. Zagrabiae. Ex Officio.

(Locus Sigilli Regii.)

*Assecuratoriarum Tenor:*

Maria Theresia &c. Damus pro memoria, ac cumprimis Comitem Palatinum, Praelatos, Barones, Magnates, Nobiles, Status demum ac Ordines Regni Nostri Hungariae universos edocemus: Ingenti Nos perfusas fuisse Laetitia, ubi intelleximus, quam Cordi Sibi memorati Regni Ordines Nostram Regnorum Nostrorum Incolumitatem ducant. Nam ut alia Insignia prorsus et in omnium oculis posita praeclara totius Regni Merita praetermittamus, nuper admodum, ubi primum Iidem Regni Status et Ordines intellexerunt, decem Milliones Florenorum a Nobis desiderari, quo Bellum, una Hostium Nostrorum ambitione inchoatum, ingentique pervicacia Sextum jam in Annum Summo nostro dolore gestum prosequique Laetiores successu, quem a Numine expectamus unice, liceat, Communi Liberrimoque Consensu annuerunt, ut interposita publica totius Regni fide, eam Pecuniam unde demum mutuam sumeremus. Porro singulari zelo et Studio praedicti Comitum Regni Palatini, cui rem omnem pertractandam Iidem Status et Ordines repetiti chari Nobis Hungariae Regni crediderunt, eorum item, quorum opera Is ea in re usus fuit, praenotata Argenti vis Aerario Nostro ea ratione hisque sub Conditionibus illata est: Ut Stati census a quinque et respective sex per centum singulo Semestri rite pendantur; porro evoluto, post instauratam pacem, integro sexennio, Renumeratio Sortis, unum Millionem florenorum quotannis solvendo, initium summat. Ingens id, et majus pene quam sperare poteramus munus cum per turbida haec tempora remunerari Nobis haud liceat, pro nunc ad minus securitati et incolumitati Regni consulere volentes, eidem redditus omnes, qui a Regni totius annexarumque ei provinciarum tributis, quae Contributionum veniunt